

50  
104

Nobiliss. ornatissimo que  
CHRISTIANO CRUSIO  
S. P. D  
Christius

Litteras abs Te tam accurate scriptas  
cum here recepissem, lectis eis sane  
perdolui. Acrior enim incommodorum  
tuorum sensus ad me ex eo pertinuit,  
quod sic agis mecum, quem scias ultro  
nimium amare litteras ac litteratos homi-  
nes, invidere nemini, cupere prodesse  
omnibus, nedum Tibi, et honestissimi in-  
genii et amicitiae nomine mihi cognito.  
Quod quantum in me fuerit et quam verum  
studium, hinc recognoscas, licet. Fugi pa-  
triam, reliqui caritatum, quibus move-  
tur animus humanus, pignora, removi me  
a rebus omnium expectatione melioribus

104  
magis que Speciosis, compegi me in hanc  
vitae academicae nassam, non ob aliud  
certe, nisi ut cum litteris essem, nocerem  
nemini, fierem que utilis utcunque multis.

Rursus ubi Spem eam considero, quam in  
commendatione mea reliquam Te habere  
demonstras, aegre est animo e conscientia  
rerum mearum, quas tenues hac in urbe ad-  
huc esse et infirmas, ignorare Te non sinit,  
qui mecum fuit, usus. Necessariis autem  
et amicis quam parum in me sit praesidii,  
subinde vel solitudine admoneor: et vide-  
mur profecto, ut sunt tempora, non cym-  
bam, quam vellemus, praebere vectoribus po-  
se, sed tanquam in naufragio vix tabu-  
lam, quam quisque nactus est, tueri.

Ego vero, si fortuna pro expectatione esset, sic  
agerem, ut non modo opera, consilium, auctori-  
tas, <sup>mea</sup> in promptu omnibus haberentur, verum et-  
iam uti domus et mensa paterent non con-  
sanguineis magis, quam Tibi tuisque si-  
milibus. Nunc ubi neque lar familiaris mi-  
hi in Sicilia usquam neque focus est, quibus  
vniis valere apud bonos debebam, auctori-  
ta et gratia, ea adeo modica adeo inua-  
lida esse credo, ut facile putem olim in adole-  
scentulo maiora etiam apud externos fuisse.  
Haec scribe primum, ut Te consolet, qui minus aegre  
laturus es res aduersas, quas Tibi communes esse  
cum plerisque, qui litterarum studia serio sectan-  
tur, deprehendes: deinde, ut mihi venia sit  
apud Te parata, si praestare non possim, quae  
per se sunt fortuita. Si enim in me aut  
nullus ea in re aut parum tempestiuus usus

fortassis fuerit, id nequaquam voluntatis,  
 sed facultatis rerumque praesentium  
 fieri vitio putabis. Nihil tamen se-  
 cius, quam si eius rei in spem magnam,  
 quod aliqui facere in talibus solent,  
 Te adduxissem, et laborabo omni diligentia  
 et videbo, si quis alicubi locus se aperiat,  
 qui conveniat interea Tibi, dum erit recti-  
 us. Crede mihi saepius de Te et cogita-  
 tum est, et actum. Sed neque de his,  
 quae frustra fuerant, verba facere consueve-  
 ram, neque non male me habuit istud, cum Te  
 viderem. Scis, quam in parvo versetur com-  
 mendatio nostra, ex quo facilius multo et pluris  
 coquum conducunt plerique, quam pueritiae  
 magistrum. Tu interea optime feceris,  
 si adversus quaeque incommoda animo forti  
 obdures: te, quantum potes, contrahas, atque in  
 omnes occasiones intentus circumspicias cui Te appli-  
 ces. Nemone in urbe tam opulenta Te conuictorem sibi  
 velit, quocum de literis conferat: non bibliopola saltem  
 operam Tuam sibi conuocat, utilem sibi? Vbi quid erit,  
 scribam. Vale. Lipsiae d. III Junii 1638 XXXVIII